
EXPOSITIONES
Coràm
EMINENTISSIMO DOMINO ELECTORE MOGUNTINO

A
Sacræ Regiæ Maiestatis
POLONIÆ & SUECIÆ
Ablegato
D. ANDREA OLSZOWSKI &c.
verbo & scripto factæ.

Francofurti ad Mœnum 18. Maij.



M. DC. LVIII.



Exponit Ablegatus Regis Poloniæ



On posse satisfactam reddi Regiam Majestatem Poloniæ & Sueciæ, quod Collegium Electorale Epistolam nuper adhortatoriam dederit ad Regem Sueciæ Possessorem, de pace cum Polonis faciendâ.

Est ampliùs quod desideratur, & quo tendit memoriale nomine dictæ Regiæ Majestatis Poloniæ porrectum. id est.

I.

Ut dignoscatur: Suecos contra Pacem Universalem Monasteriensem bellum Poloniæ intulisse; occasione sumpta ex irruptionibus in Livoniam & Pomeraniam (id enim reale quasi factum Polonicum, & pro fundamento videtur justitiæ Suecobellicæ, reliquis planè mentalibus, ac plerisq; potiùs omissi quàm commissi prætensionibus) quibus & similibus querelis, causis, non causis, silentium perpetuum indictum est per inclusionem Regis Poloniæ instrumento dictæ Pacis, & comprehensionem Amnestiâ generali.

II.

Ut cum ex Pomerania & aliis provinciis Imperii bellum cœperit, & hucusq; continuetur, S. Romani Imperii Electores tanquam Pacis Custodes, setiò & efficaciter inhibeant hostilitatem ex illa provinciâ: Quid enim iniquius? quàm licere hostibus ex Pomerania in Poloniam irrumpere, ac eodem sese attritis viribus tanquam ad Asylum recipere: Polonis è contrà, & eorum colligatis Austriaco & Brandeburgico, ne persequendo hostem bellum ex Polonia transferant, ac par pari retalient, Majestatem Imperii obtendi.

III.

Ut supplementa & delectus Suecorum, & pro Sueco, in Provinciis & Civitatibus Imperii prohibeantur. Videre enim est in hâc ipsâ Civitate Francofurtensi, præsentibus & conniventibus Sacri Romani Imperii Electoribus, militem in dies colligi, atq; Suecorum in castra deduci.

Si dicatur: jus esse & libertatem Germanorum, cuivis militiæ nomina dare (si tamen congruè id fiat, & servatis servandis secundum leges Imperii) idq; favorabile non tàm Suecis quàm Germanis; cur Polonis odiosum sit, auxilia defensiva à fœderatis & adhærentibus suis evocasse? Nostris stipendiis, nostrâ annonâ militem Germanicum retinere? & quare injuriæ ducant Sueci, quod illis licet, id ipsum Nobis & pro Nobis, pari modo licere?

IV. Cum

IV.

Cum per Provincias Sacri Romani Imperii Liber tractus militi Suecо in Poloniam concedatur, cur non eadem Polonis ac eorum fæderatis libertas de jure æqualitatis competat.

V.

Serenissimus Elector Brandeburgicus revocatur ab executione fæderis cum Polonis sanciti, promittitur ejus Serenitati guarantia, in quantum Suecus Brandeburgicas ditiones impetierit. Unde animadvertitur, id consilii esse, ut Germaniâ tranquillè agente, sola Polonia centrum, & theatrum sit bellicæ calamitatis. Id equidem non alienum est ab ordinatò suimet magis quam proximi amore, minimè tamen in hoc puncto conquereremur, si Suecia contra Poloniam bellaret: sed cum Pomerania aliæq; ditiones Imperiales sese bello immisceant & involvant, certè aut præcaveri debet, ne quid contra Polonos ex dictis Provinciis attentetur, aut pari modo securitas & guarantia nobis præstanda est ab Imperio, in quantum Sueci ex Provinciis Imperij, ac viribus & delectibus Provinciarum Imperialium, Poloniam impeterent.

Ad extremum: planè videtur Poloniæ curam minore loco haberi, neq; fortè subire animos S. Romani Imperii Electorum, quid rei Catholicæ, quid Germaniæ aliquando periculi, nobis perditis, immineat. Pacem enim utcunq; ore præferant Sueci, pacem æquam, honestam, securam, optamus magis quàm speramus. Edocti sumus Suedicarum artium, cùm aliàs, tum anno præterito apud Gedanum, ubi intervenientibus & invitantibus Gallicis & Hollandicis Legatis pax proponebatur. Hæc pollicitatio, & speciosum nomen tractandæ pacis, Regiam Majestatem Poloniæ Urbi Gedanensi cum Exercitu admoverat. Magna spes videbatur transactionis, vicinis inter se Regibus, & facili ad concludendum commercio. Utq; Orbi & toti Reipublicæ Polonæ, testatum faceret, S. Regia Majestas Dominus meus Clementissimus animũ suum ad pacem propensum, declaravit prior & ultrò per Supremum Regni Cancellarium D. Comitem Korycienski intentionem suam memoratis DD. Legatis. Clarè, candidè, sine ambagibus & tricis quibusvis, maxima Suecis concedendo. Quæ facilitas declarationis Regiæ non speratæ, admirationi fuit ipsismet DD. Legatis. Fidem eorum desuper appello.

Deindè, cum ad reprimendum Rakocium Gedano discederetur, nè tùm quidem relictâ penitus pacis curâ, hortatu præcipuè Legatorum Christianissimi Regis, dati, & relicti in eadem urbe fuerunt à Rege & Senatu Polono cum potestate amplissimâ Commissarii Plenipotentiarii ad tractandum, Illustres Viri, D.

Episcopus Varmiensis, Palatinus Mariæburgensis, Gedanensis, & Culmensis, Castellani, Senatorii omnes Ordinis.

Aderat tum præsens in aula Polonâ D. de Lisola, Imperatoris Divæ memoriæ Ferdinandi Tertii Minister, tot scriptionibus Suedicis frustrà exagitatus, neque tamen declarationi, ac Commissioni prædictis, obsistere valuit, aut voluit.

Eidem postremò fini sinceroq; pacis studio, ac inprimis interpositæ auctoritati Serenissimi Electoris Saxoniæ (vicinâ licèt tùm, & proclivi ad patiendum quidvis hostile Pomeraniâ) concessum erat, ut miles noster irruptione severè prohibitâ, in Castris apud Gedanum, durâ hyeme, & dispendio incredibili haberetur, & coërceretur.

Nihilominus, uno eodemq; tempore Suecus ostentatione tractatuum cum Polono lusit, cum Moscho agitavit, cum Transylvano conclusit, & barbarie omni sedibus suis emota, in viscera Regni penetrando, junctisq; viribus cum Rakocio, Cosacis, Valachis, Moldavis, Poloniam magno rumore Pacificationis propè securam, ferro & igni sævissimè afflixit.

